

quidem barbarorum animis exceptis. Si vero quidam sunt, qui dictis aut scriptis, Deum esse, negent, illos hoc minime credere puto; sed ab illis fieri, ut ingenii & rationis acumen in defendenda inexistentia Dei, ostendant, & paradoxa dixisse videantur; vel Deum misericordem & clementissimum sibi persuadentes, ut majorem seculorum flagitiorumque licentiam sibi tribuant. Si vero præter opinionem veri Athei, Deum haud existere firmissime credentes, dantur, illos ipso diabolo, (qui Deum credit, & contremiscit) pejores esse, pronuncio.

In Theologia Naturalis Historia per quam utilis est: quia similia, Christianorum morti, resurrectioni &c. accomodatissima præbet, v. gr. Flores & aquarum bullæ, hujus vitæ vanitatem, Papilionum mors & suo tempore illorum reviviscencia, corporis nostri, post ultimum mundi diem, resurrectionem, optime adumbrant. Similia, ex Naturali Historia desumpta, ipsum